

a summo inflexum bacillum, quod ab eius litui quo  
canitur similitudine nomen invenit, cum situs esset  
in curia Saliorum quae est in Palatio eaque defla-  
31 gravisset, inventus est integer. quid, multis annis  
post Romulum Prisco regnante Tarquinio quis vete- 5  
rum scriptorum non loquitur, quae sit ab Atto Navio  
per lituum regionum facta discriptio. qui cum propter  
paupertatem sues puer pasceret, una ex iis amissa  
vovisse dicitur, si recuperasset, uvam se deo daturum  
quae maxima esset in vinea; itaque sue inventa ad 10  
meridiem spectans in vinea media dicitur constitisse  
cumque in quattuor partes vineam divisisset trisque  
partis aves abdixissent, quarta parte quae erat reli-  
qua in regiones distributa mirabili magnitudine uvam,  
ut scriptum videmus, invenit. qua re celebrata cum 15  
vicini omnes ad eum de rebus suis referrent, erat in  
32 magno nomine et gloria. ex quo factum est ut eum  
ad se rex Priscus arcesseret. cuius cum temptaret  
scientiam auguratus, dixit ei cogitare se quiddam; id  
possetne fieri consuluit. ille augurio acto posse re- 20  
spondit. Tarquinius autem dixit se cogitasse cotem  
novacula posse praecidi. tum Attum iussisse experiri.  
ita cotem in comitium allatam inspectante et rege et  
populo novacula esse discissam. ex eo evenit ut et  
Tarquinius augure Atto Navio uteretur et populus de 25  
33 suis rebus ad eum referret. cotem autem illam et  
novaculam defossam in comitio supraque inpositum  
puteal accepimus.

Negemus omnia, comburamus annales, ficta haec  
esse dicamus, quidvis denique potius quam deos res 30